



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Quod omnes boni Christiani religiosi possint appellari, & potissimum hi,
qui statum aliquem suscipiunt ad hoc ordinatum; & vt in eo spiritualibus
exercitijs quisq[ue] vacare debeat Cap. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

qualia in carne eorum opera, contra Deum & contra Dei verbum sint cui-
bet nimis quam etidens existit. Hos missos facimus (suum enim suo inueni-
ent tempore iudicem) dicturi de his, qui se in virtutum operibus exercent.

*De bonis operibus: quanam precipua & Deo propinquiora sint, in quibus
item religio versetur. Cap. 11.*

Opera bona
quanam
precipua
sint.
Religio
quid sit, &
quibus re-
bus consistat
& exerceat-
ur.
Deuotio
quid.
Oratio quid.
Adoratio
Dei qui fiat.

Inter omnia bona opera primum locum tenent, & precipua sunt, quae
propinquius finem, propter quae fiunt, (hoc est Deum qui verus & vlti-
mus nostrorum operum finis erit) attingunt. Opera autem, quae ad ipsu
propinquius accedunt, sunt opera religionis, quae est cultus Dei, adoratio
Dei, laetitia Dei, quae se vicinias absque omni medio in DEVM, tanquam
verum finem suum extendunt, Huiusmodi religionis aut diuini cultus opera
sunt attentio & deuotio, quae est prompta voluntas velociter se ijs rebus ad-
dicendi, quae ad Dei cultum pertinent. Item, oratio, quae est ascensus mentis
in Deum, & sic mentalis oratio vocatur, ex qua ea quae fit ore & verbis pre-
catio nec non cantus & laus Dei proficiscitur. Ad quas vt bene fiant, opus est
meditatione & cõtemplatione Dei & puritate cordis. Hæc & his similia nas-
cuntur & promouentur ex interiori homine. Porro in exteriori homine erga
Deum sese religio exhibet in adoratione, quae fit per genium flexionem, per
sui in faciem prouolutionem, per incuruationem corporis & his similia,
quibus interior homo extimulatur, excitatur, aptior redditur, exercetur,
& ad opus suum mouetur. Verum etiam est, vt si exteriora opera fieri debe-
ant, interiora prius adesse oportere, ex quibus exteriora scaturiant. Vt si Deu
exterius adorare velis, prius opus est interius ipsum in te, quem adorare vo-
les, cognoscas, vt seias illum esse Deum, vnde oritur natura, gratia, gloria,
& à quo est omne bonum. Ita fit vt ex interioribus spiritus, opera exteriora
promanent: & contra per exteriora interiora prouocentur & exerceantur.

Adoratio
quo fit gratia
Deo quid
sequatur.

Adoratio Dei est diuina laetitia, quae præterquã Deo, nulli alij exhibetur
& ideo cognitionem huiusmodi requirit. Et vt accepta sit etiam Deo & me-
ritoria, perfectum omnino sui ipsius excharitate in diuinum beneplacitum
submisionem adesse oportet. Religio cultusque Dei etiam in oblatione ver-
satur omnium eorum, quae DEO offeruntur. Ad religionem inter cetera
hæc etiam opera spectant, vt sunt castigatio carnis suae, temporalium bono-
rum relictio, vitiorum extirpatio, propriae voluntatis resignatio & renun-
ciatio, propriorum affectionum perdomatio, sacrificium alcaris p̄. r. missã,
& (quae potissimum eo pertinet) arcta perennisque cum Deo sui ipsius per-
vorum confederatio. Hæc omnia vt dictum est, ad Christianam & Euange-
licam vitam pertinent.

*Quod omnes boni Christiani religiosi possint appellari, & potissimum hi qui
statum aliquem suscipiunt ad hoc ordinatum penitus, vt in eo
spiritualibus exercentijs acare quisque debeat.*

Caput III.

Religiosus
vt sit & dicitur
possit quilibet
Christi-
anus.

Ex his omnibus, vt supra memoratum est, efficitur, quod quiuis homo,
qui sic vero & vnico Deo tali religione & laetitia seruit, vt iam dictum
est, religiosus vel spiritualis homo fit vocarique possit. Atque eiusmodi Chri-
di Chri-

Christiani omnes esse deberent, sed ceteri homines, utpote Iudæi, Turcæ, Sarraceni, hæretici, si suo porro more vnicum Deum colunt, nomine tamē Deum colentis religionis sunt indigni, ob multos errores, perfidiam & falsitatem, qua sunt decipi. Verū enimvero cum omnes verē boni Christiani religiosi Deique cultores possint nuncupari, propterea quod verum, vnicum Deum religiosè colant, multo inter illos æquius, magis propriè & præcipuè, hi sic, id est, religiosi, vocantur, qui omnem suā vitam addicunt & emancipant religioni, ea re, quod se totos ad Deum conferunt, se subtrahunt ab omnibus negocijs & commercijs mundi, & ab occasione huiusmodi mundanarum rerum, quantum corporalis & temporalis necessitas permittit. Tales religiosi communiter hodie Monachi, Moniales vel Cænobitæ aut monastici homines nuncupantur, quamvis extra cænobia quoque multos religiosos vita est inuenire, tamen nomenclatura illa statum illum sequitur, qui sic est ordinatus. Quo quisquis uti iuxta quod est institutus volet facillè ex carne in spiritum peruenire poterit ad perfectionem charitatis verarumque virtutum.

Vti semper in mundo status aliqui extiterint, in quibus specialius, rigidius & perfectius ex bona voluntate Deo seruire licuit, supra quam ex mandatorum Dei aliquis teneretur.

Cap. IV.

STatus huiusmodi religiosorum & DEI cultorum (qui se à plebe & à bonis etiam hominibus segregauerunt, & in rigidiorē diuini cultus obseruantiam transtulerunt) semper in mundo fuit. Nam ut eximie docti scribunt & sentiunt, ante legem in veteri Testamento huiusmodi religiosi cœperunt, qui sese (quantum illis congruebat, cum adhuc mandatum esset de propagatione mundi) castè continenterque gesserunt, serò matrimonium inierunt ad proles generandas. Per quæ ostenderunt, quam libenter (si diuina voluntas tulisset) se semper à voluptatibus carnis abstinuisent in inuolata castitate, seseque exercuisent in speciali inchoatione noui cuiusdam diligentiorisque cultus Dei, præ ceteris DEVM colētibz mortalibus. Quod ipsum liquido nobis Genesios liber breuibus verbis commonstrat, dum de Enos, qui fuit filius Seth, scriptum reperitur, quod cœperit inuocare nomen Domini. Quod intelligitur de notabili aliquo & speciali modo, seu cultu erga Deū, ante alios homines, qui eodem tempore villiori, humiliori & communiori modo Deum colebant ac venerabantur: Quidquidem in eodem Genesios libro de Abele legitur, quod Deum honorauerit eique obtulerit de primogenitis gregis sui. Similiter & multo magis Rechabitz sese in speciale quendam & sedulum religiosæ vitæ ordinem dederunt, ut habetur in primo Paralipomenon libro & apud Hieremiam prophetam præ alijs hominibus in corporis deliciarum abdicatione in potus vini abstinentia, & his similibus, in obedientia sub Iabe legis ductore, in laude & concentu, alioque diuino cultu in doctrina & meditatione legis. Quæ, multaque alia ex singulari deuotione obseruabant præter communem legis obligationem, quam vna cum alijs hominibus æquè benè & insuper sponte sua singularem quandam religionem

Religiosi vt specialius vocantur monasticæ vitæ profectores.

Religiosos ac singulatores Dei cultores semper fuisse.

Gen 4. Enos cepisse inuocare nomen Domini vt intelligendū. Gen 4. Rechabitarum singulare institutum. Hier 35.